De

Acrone, qui fertur, Horati scholiasta.

Schweikert

Ernesti Schweikerti

epistola critica

ad

Hermannum Usenerum.

Hermanno Usenero

S. D.

Ernestus Schweikert.

Cum pauca nuper ‚de Porphyrionis et Acronis scholiis Horatianis' Monasterii dissererem, iniqua quadam rerum condicione factum est, ut commentatio, quam **Tu, Vir Doctissime,** ‚de scholiis Horatianis' a. MDCCCLXIII Bernae scripsisti, tum demum mihi in manus veniret, cum provincia mea iam erat abrogata. Tui enim ingenii acumine excitatus rem modo relictam illico retractare incepi neque vero per hosce annos multis atque diversis inter se negotiis atque impedimentis distractus ad finem perduxi. Jam vero cum scholae mihi nostrae libro annali praefandi munus delatum esset, in animum induxi, Acronis, quae feruntur, scholia miserrime corrupta qualia mihi esse viderentur, quae eorum auctoritas atque origo, Tecum communicare: sperare enim videbar futurum esse, ut Tibi si aliqua probarem accuratiusque Tu, Vir Doctissime, percensere velles, quae ipse in magna librorum penuria et temporis angustiis persequi non potui, hae curae, quae Tua est et in hisce rebus doctrina et in omni litterarum genere diligentia atque sagacitas, rei litterariae atque virorum doctorum studiis essent nescio cui incremento.

Et mea multum interérat Tecum hanc rem valde obscuram denuo examinare: nam Tua opera res eo perducta erat, ut **Ferdinandus Hauthalius,** cuius librum laboriosum scholiis Horatianis non modo per annos sed per saecula nimis neglectis post subitariam et quasi tumultuariam incuriam Francisci Paulyi novam qnandam quasi lucem adlaturum esse sperabamus, quod ad Acronem attinet, acta fere egisse videretur. Atqui qui is id non miretur, qui et Hauthalii, cuius elegantiam disserendi non aequare inquirendi diligentiam et doleat et quodammodo excuset, in hisce rebus doctrinam cognoverit et horum scholiorum apud seniores existimationem in animo pensitet? Tu vero Acronem, cuius vestigia prorsus contracta paene anxie Hauthalius secutus est, vana specie VV. DD. decepisse putabas. Nonnullis enim librr. manuscc., qui Bernae asservantur, excussis ‚exempla Acronum, qui multi sunt, quaedam qualia in librr. manuscc. leguntur,' (l. l. pag. VIII) propositurus initium disserendi a scholiis Heinianis (l. l. p. IX) sumis. Quid vero?

haec Heiniana suntne Acronis an Porphyrionis aut alius grammatici nescio cuius? Hauthalius quidem, qui de hoc libro manuscc. primus monuit, specimen evolgaturus scholia ex eo ad finem Epist. II, 2, 105—182 descripsit, non quod partem illam commentarii Acronis diutius desideratam invenisse se putaret, sed ut hac deficiente aliqua scholia non plane dissimilia exstarent. *) Quare Hauthalius in Corrigendis, quae scholiorum editionis Vol. I. addenda protulit, p. III corrigens, ut videtur, libelli illius inscriptionis fallaciam cautissime sic scribit: ‚codex Barcellonensis Horatii (et Acronis).' Haec ipsa Epistolarum scholia ut servata sint, singulari atque adeo miro casu factum esse non ignoras: nam Sermonibus, qui extremam libri partem obtinent, librarii diligentia non perseverante nulla fere scholia adscripta sunt (cf. Hauthalius, schol. ed. I, Corr. et Add. l. l. et II, p. 351), ‚Epist. I, 8—13 et 16 eis plane destitutae sunt' (Hauthalius l. l. II, p. 351).

Et scholiis ipsis, quae Tu protulisti, perlustratis eisque, quae Hauthalius ex eodem libro descripsit, collatis hoc luce clarius evincitur: scholia sunt explanationes ludi magistri cuiusdam medii aevi ab hoc ipso aut a discipulo quodam eius exaratae. Quem magistrum, id quod Tu Te ipsum vidisse p. VIII videris indicare, non Acroniana solum, quae habemus, sed Porphyrionis quoque commentarium cognovisse haec ad Carm. I, 1, 35 adscripta adnotatio, ni fallor, probat: ‚Tunc tantum Graeci sunt (sc. poetae lyrici), quia nondum erat Latinus.' Quae cum a Porphyrione eleganter disserente petita videantur, pleraque magister ipse addidit, quae neque Acronis sunt neque Porphyrionis.

Atque etiam ex eis glossis, quas versibus esse superscriptas p. XI refers, accurate perspicimus, unde miserrimae illae Acronianorum adnotationes, de quibus modo (de Porph. et Acr. schol. Hor. p. 17 et 19) plura dixi, profectae sint. Neque enim dubito, quin has nugas maximam partem medii aevi scholarum usui debeamus, in quibus cum in Horati exemplaribus, quae scholiis Acronianis, quae vocantur, ornata erant, versibus superscriptae essent, incauti recentioris aetatis librarii cum Acrone ipso eas confuderunt. Ex quo factum est, ut hae adnotatiunculae in codicibus antiquissimis rarissimae sint, frequentiores in recentioribus. Atque ne illud quidem alienum est, quod J. Schlenger de codice quodam Acronis Veronensi, de cuius aetate atque natura, id quod lugebam, nihil dicit, in Programm. Gymnas. Magontiacensis a. MDCCCLXVIII p. 1 not. refert: ‚Cum unius Acronis nomine inscriptus sit codex a nobis inspectus, in contextu tamen scholiorum iterum Acronis nomen persaepe legitur, ab eadem manu, quae totum cod. exaravit, ad singulas adnotationes adscriptus (?!), plerumque ad eas, quae lemmati statim supponuntur.' Quamquam usus scholarum qualis novissima fuerit ipsius antiquitatis Romanae aetate, inter VV. DD. satis constat, qua de re H. Keilius (Gr. Lat. V, p. 90) de Pompeii Commento artis Donati disserens: ‚Denique ne dicam totum hoc genus artis Donati explicandae,' inquit, ‚ex usu scholarum repetendum esse, verbosa et puerilis tractandi ratio molestissima rerum tritissimarum repetitione fastidium creans hac sola re quodammodo vel excusatur vel intellegitur, quod scholarum consuetudinem grammaticus scribendo imitatus est.'

Quare cum in Parisino A aliisque libris, qui sunt aetatis Bedae et Alcuini (cf. Hauthalius, I Add. et Corrig. p. IX), hae ineptiae iam appareant, Acronis commentarii integritas aut ipsa fuit

---

*) Ueber den Codex Heinianus etc. p. 43: „Da ich nun zu besorgen grund habe, dasz irgend ein jüngerer freund der wissenschaft, der diesem schweren theile der litteratur seine aufmerksamkeit und seine studien zuzuwenden anfangen möchte, die scholien und glossen dieses codex bekannt mache, in der meinung, den schlusz des Acroncommentars entdeckt zu haben, so beeile ich mich, einem solchen beginnen zuvorzukommen."

hisce interdum naevis maculata aut incorrupta ne tum quidem ubique erat servata. Et corruptam eam multifariam hac iam fuisse aetate probabile est. Atqui librr. manuscc. opera ad remotiorem memoriae Acronis commentarii aetatem pervenire nequimus. Quare hoc quidem, quod l. l. p. VIII proposuisti, patet, antiquissimam, quam nos hoc tempore ex librr. manuscc. excutere possimus, Acronianarum lucubrationum speciem Bedae et Alcuini aetate esse confectam: neque enim ullum vel Horati ipsius vel scholiorum libr. manusc. hac aetate antiquiorem cognovimus.

Sed praepropere, ut videtur, p. VII inde hoc concluseras, ‚Acronis nomen a docto quodam Italo his scholiis inscriptum esse ex auctoritate notissimi illius loci, qui in Horati vita brevissima novissimus est.' Hoc idem et C. L. Rothius (cf. comment. m. s. l. p. 47) a. MDCCCLVIII verbis iam affirmaverat neque vero argumentis probaverat et hac nostra aetate VV. DD. Te secuti auctorem fere pro certo habent (cf. C. Zangemeisterus, in M. Rhen. a. 64, p. 334 not. 16; O. Ribbeckius, Proleg. ad Verg. p. 216; Gu. Teuffelius, hist. litter. Rom. p. 429 sq.). Vide enim, ne hoc potissimum in quaerendo persequendum fuerit, quisnam hoc Acronis nomen vir doctus, quis libr. manusc., quis annus nobis intrusisse videatur. Verumenimvero Tu ipse, V. D., qui summa diligentia atque industria in hoc abiectissimo litterarum genere versaris, in Mus. Rhen. a. 68, p. 490 sq. ex Bonaventurae Vulcanii glossarum libro, cuius libri mihi ipsius inspiciendi copiam nulla opera comparare potui, accuratissime demonstrasti, iam saec. IX vel X, ad quam aetatem hanc, quam nos hoc tempore antiquissimam habemus, horum scholiorum recensionem, ut F. Aug. Wolfii verbo utar, revocandam esse supra exposuimus, haec eadem scholia Acroni fuisse adscripta. Atque ne hoc quidem loco codicis Veronensis Schlengeri, de quo supra (p. 6) dixi, testimonium neglegendum est.

Cuius libri accuratiorem descriptionem cum vehementissime desiderarem, Schlengerum de eo ipsum per litteras adii. Qui quod quantum sedecim annorum spatio interposito memoria repetere potuit, de libro isto ab ipso conlato mecum facillime communicavit, ego ei maximam gratiam habeo. Ex epistola Schlengeri haec hoc loco describere atque publici iuris facere est visum: „Vor allen dingen haben wir es hier mit einer wirklichen Acronhandschrift zu thun, nicht mit randbemerkungen eines Horazcodex. Eine nähere kenntnissnahme meinerseits wurde veranlasst durch meinen sel. lehrer, den h. pr. Osann in Giessen, als ich ihn beiläufig in einem briefe auf mehrere mir auf der capitelsbibliothek in Verona zu händen gekommene codd. aufmerksam machte. — Ich habe nur die ersten 2—3 seiten und den schlusz copieren können. — Ich musste mich durch die sehr eng und unleserlich geschriebene minuskel durcharbeiten. Den vollständigen commentar enthält die handschrift nicht, doch kann ich nicht genau angeben, wo sie beginnt. Meiner schätzung nach ist die handschrift aus dem 14. jahrhundert, vielleicht auch aus dem anfang des 15. und zwar auf pergament. Die beischrift: Acronis findet sich auf mancher seite 6—10 mal. Nun ist aber noch ein umstand, den ich in meiner abhandlung nicht erwähnt habe, und der vielleicht ebenso geeignet ist, wie jene beischrift, der handschrift interesse zu verleihen: sie hat nämlich eine unterschrift; aber hier bringt mich mein gedächtnisz in verlegenheit, — heisst der name Bandinius, Blandinus, Blandinius, Blancinus, Blancinius? Kurz und gut, es ist etwas ähnliches, und ich musz ehrlich gestehen, dasz, während ich bei der ersten vergleichung die sache überging, mir seit der zeit oft der gedanke kam, ob die handschrift nicht mit den bekannten vier cod. Blandinii des Cruquius die abstammung theile. Vielleicht ist das nur eine marotte von mir, doch wäre die sache werth, dasz sie an der handschrift selbst noch einmal untersucht würde."

Quid vero? Vitae illius Horati, quam Acronis nomen scholiis inscriptum saec. XV. librariis suppeditasse opinabaris, qualis auctoritas statuenda videtur? Nam primam, quam ferunt, vitam suo iure Suetonio assignant: cuiusnam viri aut cuiusnam aetatis hanc alteram putas? Et quoniam de Porphyrione et Acrone narrat, hisce viris recentiorem biographum fuisse certissimum est. Sed in saec. IX. librr. manuscc. eam iam exaratam viderunt. Quid igitur est? Aetas huius vitae extremis finibus saec IV—IX. circumscribitur.

Haud ignoras, Hermanne Usenere, certioribus numeris hanc Horati vitam O. Kellerum definire studuisse in libello illo symbolis philol. Bonn. inserto, in cuius parte priore elegantissime de Porphyrionis patria et aetate disseruit, altera pauca addidit de scholiis Acronis. Qui V. D. cum Acronianorum, quam nos habemus, collectionis partem priorem c. a. CCCC, alteram a Fabio Placiade Fulgentio *) circa a. CCCCC confectam esse affirmet, eundem virum et scholiorum partem priorem et hanc Horati vitam conscripsisse arbitratur. Quisnam fuerit hic vir, cum ignoret, Pseudo-Acronis nomine eum notavit eique scholia libr. Paris. A assignavit. Morte confectum eum commentarium non ad finem usque exarasse statuit dicitque: „Sowie der text erhalten ist, bricht er zu anfang der 15. epode ohne schlusz ab.“ Hauthalius vero ad epod. 15 init. haec adnotavit: ‚In A ad hunc epodum Acronis scholia desunt, manus autem secunda aliqua, quae nusquam alibi in hoc codice conspicitur, scholia Porphyrionis integra in h. o. exaravit.’ Ex quo efficitur: 1) manus pr. scholia describere inde a fine epod. 14 desiit; 2) librarius quidam, qui postea librum manibus trivit, ubi Acroniana deerant, ibi Porphyriana nonnulla adscripsit fragmenta; 3) inde, quod in hoc codice commentarius Acronis non est integer, recte non concluditur, numquam eum integrum fuisse. Nihil igitur video, quo O. Kellerus istam de duabus Acronianorum partibus opinionem evincat certam. Nam ne id quidem, quod V. D. Fulgentii proprium profert, Maronis nomen non Vergili in locis a Fulgentio laudatis citari, cum scholiis, quae quidem Hauthalius praebet, vere convenit.

Neque vero inde, quod in codicibus quibusdam manuscc., qui scholia Acroniana exhibent, Vita Horati II. invenitur, iure concluditur, ad eundem auctorem et vitam hanc et illa scholia esse referenda. Etenim Cruquius, ut cetera mittam, in eodem codice Blandin. et Vitam illam I., quam Suetonii esse satis constat, et hanc alteram, quam Pseudo-Acronis esse affirmat Kellerus, invenit. Cuius codicis scholia qualia fuerint, quamvis accurate, quae Cruquii in disserendo neglegentia est, evincere non possimus, haec tamen non omittenda videntur, quae Cruquius ad Epist. II, 15 (edt. a. 1611, p. 611 b) affert: ‚Quod autem Petrus Victorinus — scripsit, hunc locum sic ordinandum, idem ante eum habuit Acron vulgatus‘, ut patet in Commentatore ex antiquis scriptis Blandiniis.’

Idem Cruquius ad Epist. II, 2, 60 (ib. p. 612 b) haec praebet: „Non arbitror hunc Bionem Aristophanis patrem fuisse, ut habet Porphyrion vulgatus et ex eo alii, sed malim

---

*) Hic ille est, de quo Bernhardyus, hist. litt. Rom. p. 350 (edit. IV): „Unter die räthselhaftesten erscheinungen gehört noch immer der fälscher und windmacher Fulgentius. Er hat eine partie von autoren und observationen zusammengelogen. Fulgentius war halbwisser, der auf grund einiger ihm oberflächlich oder von hörensagen bekannter notizen in's blaue phantasiert; dergleichen geschieht nur in völlig barbarischen und unwissenden zeiten.“ Similiter Teuffelius (hist. litter. Rom. p. 980 sqq.), cuius haec sunt: „Sein satzbau ist überladen, so dasz es dem leser nur mit mühe gelingt vor dem wortschwall zum verständnisz des gedankens zu gelangen. Die unregelmässigkeit ist bei ihm regel, und besonders in der rection der tempora und modi herrscht vollständige anarchie.“ Quin satis male de his scholiis opinetur O. Kellerus, nemo dubitabit.

Commentatori et Acroni vulgato subscribere, Bionemque hunc fuisse Borysthenitem sophistam.' Adde illa, quae sunt in epist. dedicat. edt. a. 1565 p. 5: ‚Non iniuria Petrum Nannium dixerim deterritum ab editione Acronis, quam in suis miscellaneis ex eisdem (Blandin.) codicibus aliquando pollicitus est Horatii studiosis.' Suffragari videntur haec v. 53. Serm. I, 3 (edt. 1611, p. 443a) adscripta: ‚si fortassis audiat (benev. lector) nos iniquius lacerari, quod vulgatos Acronis et Porphyrionis nomine commentarios ausi simus e manibus studiosorum ereptos exterminare adque barbaros relegare, ne dubitet nostrum patrocinium suscipere vel hoc argumento, quod ex hoc loco in finem usque huius libri, quaecunque typis edita sunt Porphyrionis apposito nomine, ea me ad verbum fere invenisse adscripta ad oram libri Buslidiani nullius auctoris addito nomine.' Qualis autem scholiorum codd. Blandd. natura fuerit, accuratius cognoscimus ex epist. ad Lect. edt. a. 1565, in qua p. 10 haec inveniuntur: ‚namque in adnotationibus trium (? cf. p. 13: ‚adnotationes adscriptae margini in quatuor codd. Blandd. sine auctoris alicuius nomine') illorum codicum, quos Blandinios supra dixi, saepenumero trium commentariorum ternas sententias deprehendi mutilas, truncas, inversas, depravatas, quas hac apposita particula, Aliter, consignatas offendi, ut plerumque ex tribus codicibus tres dictiones in unam sententiam cogere divisas mihi fuerit necesse.' Atque optimi et antiquissimi vulgatae, quae dicitur, Horati poematum libri manuscc. ab Acronis parte stare, ex universa eorum, qui media aetate Horati poemata descripserunt, via atque ratione est verisimile. Atque etiam Vergiliani libri manuscc., qui uberiorem illam Servii scholiorum collectionem interpolatam exhibent, nullum auctoris nomen adscriptum habent (cf. G. Thilo, Mus. Rhen. a. 59, p. 542). Hoc idem O. Kellerus, ut opinor, vidit, qui in Mus. Rhen. a. 64, pag. 226 haec statuit: „Ebensoviele, wenn nicht noch mehr beachtung verdienen die sogenannten acronischen scholien, welche zwar bloss äusserst selten eine andere urquelle des textes als den archetyp unserer Horazhandschriften verrathen, aber dafür durch fremdartige einflüsse weniger alteriert sind als Porphyrion" (!?). Immo Porphyrionis commentarius aliorum additamentis minus corruptus eius est viri, qui suo sibi iudicio uti consueverit (cf. comment. meam s. l. p. 31—36, p. 44.): ab Acronis, qui antiquiorum Horati interpretum doctrinam paene anxie collegit, moribus alienum erat, ut videtur, vulgatam atque solitam interpretandi rationem ad sui iudici existimationem revocatam aut probare aut corrigere.

Quae cum ita sint, hoc quidem dubitari non potest, Blandiniana scholia quin in universum ab Acronis, quem ferunt, parte stetisse pateat. Quis igitur non videt, O. Kelleri via et ratione Suetoni quoque vitam Pseudo-Acroni, quem vocat, esse tribuendam? Quare quamvis cupide haud pauca cum Acronis tum Porphyrionis vestigia a Kellero scite monstrata amplexus sim, hoc loco cum de Vitae II auctoritate agatur, rationem eius in partes vocare perquam dubito neque quidquam habeo, quod hac de re cum aliqua probabilitatis specie proferam, nisi terminos, quos modo dixi, saec. IV—VIIII.

Quo tempore cum ipsum Acronis commentarium exstitisse probabile sit, qui potest cogitari, eum commentarium, quem optimum habuerunt, VV. DD. nec descripsisse nec excerpsisse? Quare quamvis Acronis adnotationibus ipsis egregiam VV. DD. virtutis eorum opinionem incommodo fuisse putem, Porphyrionis autem auctoritatem paene integram ideo esse servatam, quia hunc librarii minoris habuerunt neglexeruntque, Acronis, quae feruntur, scholiorum fidem non ita in dubitationem vocandam censeo, ut inventum esse eius nomen a librariis et per fraudem scholiis adscriptum ducamus. Immo vero quae ullius sunt in hisce scholiis veritatis et antiqui-

tatis momenti ad eius auctoritatem additamentis variis corruptam et inquinatam revocanda sunt. Quae sint ab Acrone ipso profecta, quae a posteris addita, cum quoque loco accurate diiudicari fere nequeat, ad librorum manuscc. antiquissimum textum a principio confugias necesse est.

Sed codicis φ scholia, quae Tu, V. D., p. XII sqq. recenses, cum Acrone plerumque conspirant, interdum (ad vv. 8. 27. al.) Porphyrionem sequuntur. Apparet igitur ne hunc quidem scribam alterutrum grammaticum antiquum accurate descripsisse, sed aliis aliunde sumptis ipsum per sese commentarium qualiscunque est confecisse. Quare de hoc libro Hauthalius (schol. Horati II, p. 2), ‚Ex *B* φ scholia plurima,' inquit, ‚imprimis ad Serm. I, 1 et II, 3 exscripsi, utpote quae ex vett. interpretum, potissimum Porphyrionis, fonte profecta, nec tamen ita comparata sunt, ut, quod de expositionibus Epistularum valet, ad emendationem locorum vexatorum contribuere multum possint.'

A Carm. I, 7, 15 Acron novum incipit carmen, Porphyrion repugnat (cf. comment. m. s. l. p. 33): Bernensis liber, de quo p. XV sqq. disseris, a parte Porphyrionis stat. Idem liber ad Carm. I, 1, 23 alteram illam scholii partem spuriam habet, de qua l. l. p. 27, 54 dixi. Ad Carm. I, 1, 8 et 27 non Acronis sed Porphyrionis praebet explicationes. Quare si libri Bernensis et Parisinorum *B* φ scholia, id quod p. XII affirmas, inter se simillima sunt, utraque mixta, corrupta, depravata sunt et ad Acronem restituendum et emendandum horum librorum cum multis, qui scholia exhibent, parva est auctoritas. Atque Hauthalius quidem, ni fallor, iam dudum intellexit codicc. *B* φ b non purum esse Acronianorum fontem, sed hanc codicum familiam exhibere propriam quandam medii aevi explicandi rationem, quae Acronem modo, modo Porphyrionem secuta novum quendam quodammodo commentarium magistello cuidam mediae aetatis attribuendum confecit. Hunc eundem commentarium multifariam esse descriptum probat, ut opinor, librr. manuscrr. *B* φ b Tui Bernensis aliorum similitudo. Ad Acronem restituendum horum librorum fere nullam esse auctoritatem vel scholia illa decurtata atque inepta probant, quae Hauthalius sub Acronis titulo ad Epist. II, 2 extr. ex cod. b descripsit, quia huius ad Epistulas potissimum expositiones ei cum cod. γ facere atque ex eodem vetere fonte derivatae esse videbantur. Mihi, ut ingenue, quid sentiam, profitear, interpretamenta illa prorsus puerilia adeo ad Acronis auctoritatem non accedere videntur, ut a scholiorum librr. manuscrr. *B* φ origine haec minime esse aliena recte Te, Hermanne Usenere, cognovisse iudicem. De quibus libris ipse Hauthalius l. l. II, p. 351 haec habet: ‚Hinc etiam vetustorum illorum codicum Parisiensium *B* φ scholia et in Acrone et in Porphyrione constituendo rarius, quam supra factum est, ex penu meo depromere placuit, praesertim cum cuncta ea, ne uno quidem verbo omisso, tamquam singularem librum emittere decreverim.' Quamvis ex fonte lutulento sese haurire perspiceret, Hauthalius lacunam, quae est in Acronis commentario ad Epist. II, 2, ex *B* φ b, quantum potuit, explere non noluit.

Sed de libro Bernensi Tu ipse, V. D., p. V haec dicis: ‚Quamobrem ego quoque Horati scholiorum libros perscrutaturus, qui Bernae multi adservantur, non sine spe eram fore, ut nova quaedam, quae quidem bonae frugis essent, eruerem. nequiquam. aut enim recentes sive A. sive P. interpretum codices aut scholia a magistellis saeculi XII et XIII dictata inveniebam. unus tantum liber diutius me tenebat, de quo infra accuratius dicetur, in quo cum neque Acronis neque Porphyrionis scholia ipsa tradi viderem sed aliam quamdam collectionem Cruquii copiis similem, etsi vix novi quidquam protracturum me perspexeram, videbar tamen his copiis usus id certe accuratius posse cognoscere, qua ratione ex quo fonte varii, qui servati sunt, scholiorum libri derivati essent.' Quae cum omnino cum eis, quae ipse modo exposui, convenire vide-

rentur, pervalde mirabar p. VII haec legens: ‚Quare iam non paucissimi solum codices ei, qui propius absunt ab ea forma, quae typis volgatur, adhibendi sunt (qui enim emendari restituive is Acron potest, qui nullus est?), sed excussis omnibus saec. VIIII. X. XI. codicibus, quibus scholia Horatiana adscripta sunt, colligenda atque componenda erunt, quaecumque non in Scotorum Francorumque ludis orta sed antiquitus quovis modo tradita esse videantur. servata enim sunt in his libris, quae Porphyrion in suis aut non invenerat aut neglexerat.' Quid ergo? Tu, Vir Doctissime, qui et in multis atque antiquissimis codicibus et in Tuo libro Bernensi scholia, quae neque Porphyrionis neque Acronis sunt, inesse demonstraveris, omnium codicum scholia ei colligenda esse existimas, qui Acronem recensendum atque emendandum susceperit? Scholiorum vero omnibus omnium librorum conglutinationibus inter se confusis atque permixtis certi quod evincatur nihil relinquitur. An putas certas nobis in promptu esse distinctiones in agnoscendo, quae in Scotorum Francorumque ludis orta, quae scholia antiquitus tradita esse videantur, nisi ipsam tradendi rationem accurate respiciamus atque discernamus?

At vero ullum esse Acronem negas. Sed fuisse eum non negas. Putas igitur eum nobis nullum restare Sedtamen fertur sub Acronis nomine scholiorum collectio, quae certam et propriam explicandi rationem grammaticam propagat, de cuius natura et indole nuper p. 38 (40) et 48 sq. nonnulla disserui, quibuscum conferas velim, quae O. Kellerus l. l. exposuit, qui, ut alia omittam, not. 71 rectissime admonet, ne temere factum esse arbitreris, ut loci e Terentio petiti, quem maxime Acron adamavit, in his potissimum scholiis plurimi inveniantur, in quibus servata esse antiquae doctrinae vestigia a Porphyrione neglecta Tu ipse non negas.

Antiquitatis sincerae scholiorum gravissimum est testimonium, quod ad priores illos Sat. X libr. I versus interpolatos, quos libri manuscc. antiqui exhibent, scholia exstant nulla. Quare scholiorum auctoritas ne in illa quidem lite diiudicanda, quam nostrae aetatis VV. DD. acerrime disceptant, num in carminibus componendis Horatius stropharum rationem ad quaternos versus redactam ubique secutus sit, contemnenda est. Hac lege in ipsa Horati editione adumbranda primus Aug. Meinekius usus est, ipsum per sese eam invenisse testatus est C. Lachmannius in Diar. Antiquit. a. 1845. Apud Doeringium (Horat. op. omn. I, p. XXXII) haec legi: ‚Qua ratione hoc metrum (Asclepiadeum primum) Wetzelius τετράστροφον appellaverit, non liquet, cum numerus odae 8. libr. IV. non quaternarius sit*)'. Quantum autem haec lex valeat in arte critica exercenda, rectissime A. Meinekius perspexit: haec enim habet in edit. Horat. praefatione p. XLIV: ‚Eam legem Peerlcampius si cognitam habuisset, dubitari non potest, quin compluribus locis cautiorem criticum se praebuisset.' Nimirum Peerlcampius, qui Horati carmina multifariam esse interpolata primus affirmavit, id in versibus spuriis notandis diligentissime cavere debebat, ne numeri quaternarii ordinem destrueret. At Horatius ipse si hanc legem in carminibus componendis secutus est, patet aut Carm. 8. libr. IV. solum esse interpolatum aut interpolatores praeter unum illum, qui Carm. IV, 8 interpolavit, omnes ad illius legis normam versus suos accomodavisse. Sed scholiastas hanc legem iam ignorasse, facile intellegitur. Nam Acron disertis verbis testatur versum 17. illius carminis se legisse, quamvis repugnantia prorsus frontibus inter se componat, cum verba: ‚Calabrae Pierides' significare Ennium doceat. Porphyrion, qui de

---

*) Dubito an liber Wetzelii rarissimus sit: nam ne magnas quidem bibliothecas publicas regias adeunti mihi praesto erat.

Horatio ipso cogitat, cautior est. Sed haec ipsa mira interpretandi ratio probat, Porphyrionem quoque legisse versum illum 17. Quare cum scholiastarum tempore numeri quaternarii memoriam iam evanuisse atque obscuratam fuisse Meinekio statuendum sit, omnes interpolationes, quae hanc legem non violarunt, ea aetate factas esse efficitur, qua viri docti non ignorabant Horatium ea esse usum, i. e. ea aetate, quae ab Horatio ipso proxime abest.

Et quoniam de hac re largius iam disserere incepi, facere non possum, quin hoc quoque moneam, minime sibi constare videri, qui et numerum illum quaternarium Meinekii et hanc C. Frankii in carminum aetate definienda rationem amplexi sunt: ‚Idque factum esse, antequam tres carminum libri prodirent, valde probabile est. Nam cum plura sint in primo odarum libro carmina, quae epodorum numeris constant, non videtur dubitari posse, quin epodon sylloge prius absoluta et edita fuerit, quam ista vel scriberentur vel cum caeteris evulgarentur. Nulla enim potest causa excogitari, qua commotus Horatius istos epodos carminum corpori quam epodon fasciculo inserere maluerit' (fast. Horat. p. 47.). Quid ita? Numeri quaternarii ratio strophica, quam in carminibus odarum corpori insertis deprehendunt, nonne plena et iusta causa est, cur ista carmina in epodon fasciculum referri non potuerint? An Horatius ista carmina inter odas evolgaturus nonnullos versus aut addidit aut induxit atque delevit, ut numerus quaternarius constet? Verum haec Tu quoque intellegis esse nugatoria: ad Acronem, unde degressa est oratio, revertatur.

Acron igitur propriae illius et antiquae explicandi rationis traditus est auctor, falso eum esse traditum minime constat. At enim hunc Horati scholiastam qualiscunque est ‚pravissime confundi cum grammatico probatissimo Antoninorum aetati a Schottmuellero ratione satis certa adscripto quaevis littera clamat et dudum est intellectum' (p. VII). Sequitur, ut de Schottmuelleri ratione pauca addenda videantur.

Alfredus Schottmuellerus dissertationis Bonnensis a. MDCCCLVIII, quam ‚de C. Plinii Secundi studiis grammaticis' scripsit, adnotatione (p. 32) obviam exposuit, quid de Acronis aetate statuendum videretur. Et quamvis de vitae eius spatio adhuc nemo certi quidquam evicerit, hoc argumentis satis idoneis V. D. ostendit, locos Acronis, qui sunt in Charisii arte grammatica, ad eam libri illius partem adtinere, quae ex C. Julii Romani curis sumpta videtur. Qui quando fuerit (c. a. CC), quamquam ex Osanni commentatione (Symbol. litter. II, p. 329; cf. H. Keilius, Gr. Lat. I, p. XLVII sq.) verisimile est, ‚ante Romanum vixisse Helenium' non recte continuo concludit Schottmuellerus. Commentarium Helenii Terentianum ante Romani librum in lucem prodiisse, ni Charisii incuria, quam iterum atque iterum ipse Schottmuellerus vituperat, fallimur, apparet: Helenium ipsum aut aequalem aut paucis annis seniorem Romano fuisse probabilius est. Quid? quod F. Oehlerus Charisium ipsum iam c. a. CC fuisse ex Dosithei auctoritate pro certo habet (Mus. Rhen. a. 1862, p. 56)? Falsam hanc esse opinionem cum inter VV. DD. iam pridem conveniat, tum Tu nuper elegantissime in Mus. Rhen. a. 1868, p. 492 demonstrasti. Adde vero, quod Aelius Donatus, qui hoc tempore sine dubio est recentior, Acronem in commentario Terentiano nusquam commemorat. Patet, ni fallor, quam dubia et incerta haec horum virorum aetatis vestigia sint. Verumtamen Acronem saeculi tertii p. Ch. n. initio vel altero extremo fuisse non modo Schottmuellero ferocius repugnare meum non est, sed Porphyrione Acronem aetate paulo superiorem fuisse probabile mihi videtur. Quamquam ne hoc quidem neglegendum est, eiusdem Romani curas in medium vocare apud Charisium Porphyrionis testimonium. Ex quo efficitur, ut Porphyrion quoque inter grammaticos Antoninorum aetatis Schott-

muellero ducendus fuisse videatur: qua ratione non multo eum aut ante aut post Servii aetatem vixisse Tu, Vir Doctissime, p. VI affirmes, non video. Recte enim et accurate hac de re egisse mihi videtur O. Kellerus l. supra l., quocum in universum meam rationem convenire omnino laetor. Sed quoniam hoc loco admonuisse satis habeo, ne Schottmuellerum quidem in dubium vocare, quin idem Acron et Terenti et Horati fuerit interpres, et accuratius et largius hoc demonstrandum relinquitur, ‚Acronem Horati scholiastam cum illo probatissimo grammatico pravissime confundi.'

Sed ad propositum, unde longius aberravimus, redeamus. Quoniam Acronianorum explicandi ratio ea est, quam accuratius cognoscere operae pretium esse arbitrer, omnes omnium Horati codicum scholiorum collectiones ad hanc antiquam explanandi Horati carmina rationem et speciem excutiendam atque edendam usurpare vereor ne perversum sit. Immo vero hoc quidem Hauthalius rectissime fecit, ut hanc scholiorum partem et a Porphyrionis et ab omnibus illis, quae medio aevo alio modo conficta sunt, scholiis diligenter separare studeret. Sedtamen et O. Kellerus, qui accuratius, ut videtur, libros manuscrr. inter se et contulit et distinxit, ut editionem quam maturrime suam in publicum emittat, futurum esse speramus neque F. Hauthalium id commonefacere nolumus, quod iam ante hos sex fere annos pollicitus est, ‚propediem in maiorem orbis litterarii usum illa se prelo traditurum esse, quae de Acronis et Porphyrionis aetate, patria, fide ac sermone, de eorum libris atque aliis rebus et quaestionibus huc pertinentibus latius et uberius disserere et volebat et debebat', una cum recensione scholiorum multis locis emendata. Nam antiquissima cuiusque scholiorum partis forma cognita, quae sit cuiusque auctoritas, tum demum ad certum quodammodo finem redigere poterimus. Nam quae scholia Porphyrionis sint, satis accurate ex libro Monacensi cognoscimus: ab Acrone medii aevi glossas diiudicare viri est sane diligentissimi, eruditissimi, sagacissimi, neque confici posse res videretur, nisi legem in quaerendo certam atque normam haberemus.

Etenim cum Acroni quae scholia adscribenda sint, omnino nulla, ut videtur, nisi edd. principp. et codicum recentiorum auctoritas nos edoceat, ad Acronianorum formam restituendam qui codices usurpandi sint, nisi ad haec monumenta ceteros codices revocemus, quaeque in illis proprie et antiquitus tradita, quae a posteris addita videantur, inquiramus, perspici nequit. Horum codicum accuratum testimonium ceterorum, de quibus accurate traditum non est, naturae, indolis, originis diiudicandae norma est ac lex.

Quare multum ad Acronianorum scholiorum auctoritatem atque originem cognoscendam atque ex librorum farragine eruendam conferre videtur lacuna illa, quae est in compluribus libris manuscc. inde a v. 104 Epist. II, 2. Integer Porphyrionis est commentarius, integer Commentator, qui vocatur, Cruquii. Sed quamquam ne haec quidem Cruquiana extrema e puro Porphyrionis fonte sunt deducta, immo vero cum iis plerumque scholiis conspirant, quae Hauthalius ex B φ b descripsit, in optimis et antiquissimis Cruquii libris manuscc. scholia non erant integra. Nam cum Cruquii, qui vocatur, Commentator ad v. 197 haec nugetur: ‚quinquatres dies festi in honorem Minervae, dicti ab eo, quod Galli hostes quinque dies Romam tenuerunt: Minervae ideo dicati, quia ingenio usi sunt Romani, nam clavis ornati senatores ante domos suas sederunt: et quinquatres dicti quasi quinque atri dies', Cruquius ipse (p. 615 a edt. a. 1611) Porphyrionis interpretationem amplexus est Charisii (K. 81, 20. 548, 35) adlata auctoritate. Haec autem addit, quae mirum in modum Commentatoris fidem illustrant: ‚Comment. hic Sosipatro adversatur de quinque atris diebus, ex scriptis Bland. ubi lacuna ingens antiquitatem omnem

absorbsit: habet enim: et Minervae ideo dicati quia ingenio usi sunt Romani: τὸ ingenio, in uno ex iis Bland. habetur, ingenua; in alio, ingenita: antiquissimus autem totus ad finem huius epistolae partim oblitteratus est, partim lacer.' Quare nescio an Tibi persuaserim, commentarium Acronis iam antiquissimis temporibus mutilatum esse, novissimos autem Acronis libros manuscc. multifariam descriptos ideo non integra exhibere scholia, quod extrema commentarii pars iam in illius aetatis, cuius liber Bland. antiquissimus fuit, libris manuscc. evanuerit (cf. p. 8 sq.).

Quae cum ita sint, perquam lugendum est, Hauthalium de diversarum codicum familiarum inter se et similitudine et dissimilitudine quae in libris manuscrr. invenit nondum accuratius exposuisse. Primo quoque tempore ut aut ipse Hauthalius aut O. Kellerus hanc librorum manuscc. rationem diligenter atque religiose, ut par est, examinet atque enarret, eo magis rogare nostrum est, quo accuratius, quantum adhuc ab artis criticae severa atque perfecta elegantia absimus, cognoscimus. Nam etiam Ferd. Hauthalius in editione scholiorum adornanda nimis ‚eclecticae illi codicibus utendi rationi, quam homines philologi plerique ante haec nostra tempora in verbis scriptorum veterum pertractandis secuti sunt,' indulsisse mihi videtur. Rectissime enim Herm. Sauppius in epist. crit. ad God. Hermannum p. 5, ‚Haec ars, inquit, codicum ordines certos familiasque describendi cum fere nova sit, his nostris demum temporibus inventa, non quidem miramur, quod multi vel hoc studium contemnunt vel satis segniter hoc officio funguntur, sed certum est, criticum nisi hoc fundamento operae suae iacto incerto gradu titubare in iisque scriptoribus, in quibus hoc fieri nequeat, semper vacillaturum esse.'

Jam vero opus illud, quod Tu, Vir Doctissime, in animo volvis, pro sua et temporum facultate Cruquius absolvit, plenius et rectius se perfecturum esse Hauthalius professus est (Add. et Corrig. Schol. Horat. I, p. XII not.: ‚Denique 5) duo volumina offerentia praestantiora scholia ex codicibus a me transcripta'). In hunc librum et *B φ* b et Tui Bernensis scholia ableganda videntur. Nam cura, quam ipse (l. l. p. 49) in scholia Horatiana conferendam proposui, ab hoc Cruquii scholiasta prorsus aliena est. Diiudicatis enim et religiosissime separatis codicum scholiis, quae Porphyrionis, quae Acronis sint, quae aliunde addita videantur, ad tempus et Acrone et Porphyrione vestustius pervenire nos posse censeo.

Quamobrem exoptatissime mihi evenit, Vir Doctissime, ut ab aliis in quaerendo principiis profectus ad eundem atque ego finem perveneris, laceratam atque inquinatam Acronis vestem eius ipsius formam atque honorem non detrahere, nobis auctoritatem commentarii illius Porphyrione minoris esse habendam. Atque hanc horum scholiorum esse condicionem non ignoras recte iam fere perspexisse Henric. Glareanum, virum acerrimum, qui sibi magnam cum aequalium tum posterorum, qui, ut fieri solet, in illorum verba iurarunt re ipsa minus perspecta, Horati studiosorum invidiam conflavit. Quem cum Horati interpretes inimice insectari atque calumniari consuevisse viderem *), memineram, Hermanne Usenere, me legere apud B. G. Niebuhrium, unum omnium nostrorum virum gravissimum atque prudentissimum: ‚hin und wieder zerbrach wohl ein freigeborener geist, wie Glareanus, diese schranken; unfehlbar ward aber dann verdammnisz über ihn gerufen' (Histor. Roman. edt. II, praefat. p. VII). De scholiorum auctori-

---

*) C. Kirchner, Horat. Sermon. libri duo I, p. XL: ‚Ceterum Glareanus noster (?) (cui verum nomen fuit Henricus Lauritus) summa arrogantia atque insolentia in alios interpretes, praecipue in Landinum et Acronem, nihil magnopere dignum praestitit.'

tate Henr. Glareanus et in epistola ad Reverendiss. in Christo Patrem ac Dominum, D. Joannem, Episcopum Viennensem etc. commentario praefixa et passim in ipso commentario suo et aetatis more disseruit. Ad Carm. I, 7 haec adscripsit: ‚Acron exponit, ... Hoc itaque ulcus antiquum videtur, quamquam haud scio, quam vetus sit Acron, qui Ode 1 lib. 3 Servium allegat et Priscianum lib. 2 Epist. Videtur autem is idem Acron ex aliorum flosculis sibi sertum collegisse. Nam lectis in suum commentarium Porphyrionis verbis assuit mira saepe emblemata. Nisi forsitan, quod iniuria temporum fieri potuit, alius quispiam sciolus Acronis commentarium corruperit.' Sedtamen de fraude litteraria Glareanus cognitum nihil habuit neque certa video argumenta, quae probent, ipsum Acronis nomen per fraudem esse scholiis adscriptum. Atque tantum abest, ut Hauthalium acta agere putem, ut ad provinciam suam diligenter atque strenue absolvendam iustis laudibus excitandus mihi videatur.

Iam ad finem litterae meae perductae sunt, Hermanne Usenere. Quae de re obscura pro condicione rerum et virium mearum facultate perquisita et exposita ad Te, Vir Doctissime, cui quantum in hisce rebus debeam probe scio, mittere volui, boni, quaeso, consule. Quod volui, cum non adsecutus sim, cumque accurate perspiciam, quantum laboris viris me et doctioribus et sagacioribus relinquatur, si modo hoc molestum atque tortuosum litterarum genus in eam formam atque speciem, quae severioribus artis nostrae legibus satisfaciat, redigere operae pretium est, nihil antiquius, priusquam has litteras concludam, habeo, quam ut omni, qua par est, industria atque diligentia petam a Te, Vir Doctissime, ut benevolum mea Te studia existimatorem invenire patiaris. Vale!

Scribebam Confluentibus Idib. Juliis a. MDCCCLXXI.

Corrigenda: pag. 7 sup. lin. 14 leg.: liber manusc.
pag. 9 sup. lin. 10 leg.: codd.
pag. 9 sup. lin. 12 leg.: adnotationibus.
pag. 10 sup. lin. 1 leg.: momenti,
pag. 11 sup. lin. 1 leg.: valde — del.: per
pag. 11 inf. lin. 4 leg.: accommodavisse

Coblenz, Krabben'sche Buchdruckerei, Rheinstr. 11.